Et ſupponens $-0{,}0054+r=q$, hunc ut prius ſubſtituo, & operationem ſic produco quo uſq; placuerit. Verum ſi ad bis tot figuras tantum quot in Quotiente jam reperiuntur una dempta, operam continuare cupiam, pro q ſubſtituo $-0{,}0054+r$ in hanc $6{,}3q^2+11{,}23q+0{,}061$, ſcilicet primo ejus termino (q^3) propter exilitatem ſuam

$y^3-2y-5=0$		$+2{,}10000000$ $-0{,}00544853$ $+2{,}09455147=y$
$2+p=y$	$+y^3$	$+8+12p+6p^2+p^3$
	$+2y$	$-4-2p$
	-5	-5
	Summa	$-1+10p+6p^2+p^3$
$0{,}1+q=p$	$+p^3$	$+0{,}001+0{,}03q+0{,}3q^2+q^3$
	$+6p^2$	$+0{,}06\quad+1{,}2\quad+6{,}0$
	$+10p$	$+1{,}\quad+10{,}$
	-1	$-1{,}$
	Summa	$+0{,}061+11{,}23q+6{,}3q^2+q^3$
$-0{,}0054+r=q$	$+6{,}3q^2$	$+0{,}000183708-0{,}06804r+6{,}3r^2$
	$+11{,}23q$	$-0{,}060642\quad+11{,}23$
	$+0{,}061$	$+0{,}061$
	Summa	$+0{,}000541708+11{,}16196r+6{,}3r^2$
$-0{,}00004854+s=r$		

neglecto, & prodit $6{,}3r^2+11{,}16196r+0{,}000541708=0$ fere, ſive (rejecto $6{,}3r^2$) $r=\frac{-0{,}000541708}{11{,}16196}=-0{,}00004853$ fere, quam ſcribo in negativa parte Quotientis. Denique negativam partem Quotientis ab Affirmativa ſubducens habeo $2{,}09455147$ Quotientem quæſitam.

Æquationes plurium dimenſionum nihilo ſecius reſolvuntur, & operam ſub fine, ut hic factum fuit levabis, ſi primos ejus terminos gradatim omiſeris.

Præterea notandum eſt quod in hoc exemplo, ſi dubitarem an $0{,}1=p$ veritati ſatis accederet, pro $10p-1=0$, finxiſſem $6p^2+10p-1=0$, & ejus radicis primam figuram in Quotiente ſcripſiſſem; & ſecundam vel tertiam Quotientis figuram ſic explorare convenit, ubi in Æquatione iſta ultimo reſultante quadratum coefficientis penultimi termini, non ſit decies majus quam factus ex ultimo termino ducto in coefficientem termini antepenultimi.